Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26327
Copyright: Admont, Benediktinerstift

42

& saluti uiri monile aureum protulisse. Quicquid tragedie tument
& domos urbes regnaque subuertit. uxorum pelicumque conten
tio est. Armant parentum in liberos manus nefande adponuntur
epule. & propter unius muliercule raptum europe atque asiae
decennalia bella confligunt. Quasdam repudiatas altero
nuptiarum die statim nupsisse legimus. Uterque reprehendendus
maritus. & cui tam cito displicuit. & cui tam cito placuit. N
Epicurus uoluptatis assertor. quamquam metrodorus discipu
lus eius leontion habuit uxorem raro dicit sapienti ineunda
coniugia. quia multa incomoda admixta sint nuptiis. & quomodo
diuitię & honores & corporum sanitates & cetera que
indifferentia nominamus nec bona nec mala sunt sed ue
lut in medio posita usu & euentu uel bona uel mala N
fiunt. ita & uxores sitas in bonorum malorumque confinio. Graue
autem esse uiro sapienti uenire in dubium utrum malam
an bonam ducturus sit. Ridicule chrysippus ducendam uxorem
sapienti precepit. ne iouem gamelium & genethlium uiolet. Isto enim
modo apud latinos ducenda uxor non erit quia iouem non
habent nuptialem. Quod si deorum ut putat nomina uite
hominum preiudicant offendet ergo statorem iouem quilibet
sederit. Scripserunt aristoteles & plutarchus & noster sene
ca de matrimonio libros ex quibus & superiora non nulla sunt & ista
que subiecimus. Amor forme rationis obliuio est & insanię N exempla
proximum fedus minimeque conueniens animo sospiti uitium senecę
turbat consilia. Altos & generosos spiritus frangit. a magnis
cogitationibus ad humillimas detrahit. Querulos
iracundos temerarios dure imperiosos seruiliter
blandos omnes inutiles ipsi nouissime amori facit.
Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat.